



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc
Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

assignandâ parte, ad quam se diffundit replicatio. verum, vt concedatur quod assumitur, ponamus illa minima, sub quibus dicitur esse vnica replicatio sanguinis, separari, & separata permanere in rerum natura, quæro an sub vtroque separato sit corpus Christi, an non? si dicatur prius, sapius ponetur post separationem quàm antè, quod tamen illa sententia refugit, & censet absurdum. si dicatur posterius, ergo sub aliquâ parte specierum remanente definit esse sanguis Christi, quod est falsum, & repugnat communi sensui Ecclesiæ, quæ censet Christum Dominum tamdiu remanere sub parte speciei separatâ, quamdiu illa remanet sensibilis. adde quod iuxta responsonem vna replicatio sub pluribus minimis esse possit, & proinde non obstat quò minus dicamus corpus semel esse præsentia adæquatâ sub totâ hostiâ.

Contra resolutionem obijcitur quòd corpus Christi sæpius existat post separationem specierum; igitur etiam antè debet sæpius existere. Consequentiâ patet ex eo quòd diuisio non sit consecratio.

Resp. neg. consequentiâ. pro quo

Notandum quòd licet diuisio non sit consecratio, per eam tamen fiat vt partes specierum quæ antea erant continuæ, & componebant vnum totum, sint discontinuæ & tota, atque adeò independentèr à se inuicem existant. vnde licet per diuisionem non fiat, vt corpus Christi quod antea sub speciebus non erat, sub iisdem collocetur; per eam tamen fieri potest vt pluries sit quàm antè: consecratio ergo est causa cur corpus sit sub speciebus, continuas verò vel diuisio partium specierum suo modo est causa cur vel semel sit, vel sæpius: cum enim partes specierum sunt inter se continuæ & vnum, contentum sub illis constituitur per modum vnius & cum dependentia sui ipsius, prout est in vnâ parte, à se prout est in aliâ, atque adeò vnâ habet existentiam adæquatam; cum verò partes specierum diuiduntur, corpus Christi est sub singulis independentèr ab alijs, & discontinuè iuxta specierum existentiam. ex quo

Patet quòd per diuisionem partium specierum nulla noua entitas producat, quia sæpius existere eo casu non addit vllam entitatem, sed solum dicit id quod antea continuè existeret & per modum vnius, iam existere discontinuè, sicut accideret in animâ, si Deus illam in brachio abscisso conseruaret.

Ex dictis sequitur quòd si consecratis duobus calicibus species commisceantur & continuentur, sanguis qui antea bis ponebatur, semel sit futurus, & habiturus vnâ adæquatam existentiam.

Nec obstat quòd duplex fuerit consecratio, quia duplex consecratio solum facit vt sanguis bis constituitur, quando species seorsim existunt; quòd si reperiantur vnitæ, non obstat quo minus semel existat.

Aduerte, partibus separatis, Christi corpus diuersis actionibus conseruari idque sine miraculo, sed maxime conformiter naturis rerum, secundum quas, quod existit discontinuè, conseruatur pluribus actionibus, vt videmus in ligno, cuius partes vnitæ conseruantur vna actione, seorsim verò existentes, non nisi pluribus actionibus totalibus.

Dices potest actio replicari

Resp. vt possit, id non esse asserendum, cum non possit replicari sine miraculo, quod cum non sit necessarium huic mysterio, quando partes seorsim ponuntur, dicendum Dominum Deum conformi-

ter naturis rerum corpus Christi conseruare pluribus actionibus, quemadmodum si lege fixâ decreuisset animam non solum conseruare vnitam corpori, sed etiam brachio &c. sine miraculo per nouam actionem conseruaret cum brachio à corpore separato

ARTICVLVS IV.

Verum tota quantitas dimensua corporis Christi sit in hoc Sacramento?

RESPONDET esse ex vi realis concomitantie, Resp. affirm. quæ resolutio supponit quantitatem Christi inueniri in hoc Sacramento, de quo tamen sit

D V B I V M I.

Num corpus Christi in Eucharistia habeat quantitatem?

D V P L E X est hac de re sententia.

Prior negat, Dur. dist. 10. quaest. 2. Gab. quaest. vnica art. 2. & in can. Missæ lect. 43. littera O. Ocham in 4. quaest. 4. quamuis ex diuersis principijs. nam Dur. distinguit quantitatem à substantia, tanquam rem à re, alij solum distinguunt ratione, qui proinde minus conformiter suis principijs procedunt: nam si quantitas sola ratione distinguatur à re quanta, non apparet, quid fieri possit vt res existat sine sua quantitate.

Posterior sententia asserit corpus Christi etiam in Eucharistia habere quantitatem. ita communissimè Doctores cum D. Tho. hic & alibi.

Quæ sententia est omnino verior

Notandum 1. corpus Christi, quod in hoc Sacramento existit modo indiuisibili & spirituali, non habere extensionem partium in ordine ad locum, quia per huiusmodi extensionem partes constituantur extra se inuicem localiter, quod repugnat modo existendi indiuisibili. Cum verò ea sola dicantur se cum alijs penetrare, quæ existunt cum huiusmodi extensione, sequitur corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non se penetrare cum speciebus: nam quod penetratiuè ponitur cum alio, debet poni eodem loco cum illo, retentâ vtriusque actuali extensione in ordine ad locum.

Sequitur 2. partes eiusdem corporis, prout in hoc Sacramento existunt, se inuicem non penetrare, cum non existant modo quantitatiuo. Sequitur 3. idem corpus, prout est in hoc Sacramento, propriè non posse dici maius, vel minus, vel etiam æquale speciebus, quia corpus Christi, prout est sub speciebus, non est illis commensurabile, quod requiritur, vt aliquid sortiatur huiusmodi denominationes respectu alterius.

Notandum 2. illud tamen corpus prout existens in hoc Sacramento, habere totam suam molem, & partes non confusas, sed inter se vnitas & organizatas, atque adeò dici posse habere figuram intrinsecam & organicam, quæ secundum naturalem exigentiam postulat sitalem extensionem, seu in ordine ad locum.

Suppono quantitatem non esse extensionem localem, quod communissimè traditur in Philosophiâ, & videtur omnino parere, quia nullo modo videtur concedendum quantitatem toties mutari, quoties mutatur extensio rei in ordine ad locum: pannus enim non acquirit nouam quantitatem

Quantitas
bene con-
stituitur in
extensione
partium.

20.

Conclus.
Corpus
Christi ha-
bere quan-
tatem.

Prob. à qui-
busdam co-
clusio alijs
rationibus,
sed infir-
mis.

eo quod nouo modo plicetur, & loco commensua-
retur: item communi Philosophorum sententiā
eadem est quantitas rei rara, quae erat densa; igitur
quantitas in alio est constituenda, atque adeo
conuenienter constituitur in extensione partium,
quā partes inter se vniuntur in ordine ad totum,
quā extensio sit proximum fundamentum impe-
netrabilitatis partium tum inter se, tum cum alijs,
ita ut ratione quantitatis res secundum naturalem
exigentiam sit disposita extendi localiter, & me-
diante tali extensione, ut cum alia se non penetret.
his praemissis

Resp. & dico corpus Christi in Sacramento Eu-
charistiae est praeditum quantitate.

Probatur, quantitas, ut patet ex suppositione,
non est constituenda in extensione locali, sed in
aliquo alio, quod scilicet illa locali extensione sit
prius; omne autem id conuenienter habere potest
corpus Christi in hoc Sacramento existens, igitur
dicendum est reipso habere. Minor probatur, ex-
tensio prior locali non ita dicitur necessarium ordi-
nem ad localem quin supernaturaliter possit ab
illa separari & inueniri in corpore existente indiui-
sibiliter quoad locum. Consequentia verò argu-
menti probatur; corpus Christi in caelo existens
est praeditum quantitate, tanquam accidente ma-
ximè connaturali; ratio autem connexionis facit
ut corpus Christi in hoc Sacramento habeat ea,
quae habet in statu naturali, nisi sit repugnantia ex
parte huius mysterij, qualis non inuenitur in quan-
titate, ut patet ex dictis.

Pluribus alijs rationibus eadem conclusio so-
let probari. 1. quod corpus Christi in hoc Sacra-
mento sit organicum; non posset autem esse tale
sine quantitate. Haec ratio est infirma, cum enim
sit valde probabile dari formas substantiales par-
tiales, quibus possit constitui corpus organicum,
ex organizatione infirmum ducitur argumentum
ad probandum quantitatem corporis Christi in-
ueniri in Eucharistia; cum organizatio substantia-
lis possit esse sine accidente, & possit esse caro, os
sine vlla quantitate, similiter sine raritate, densita-
te: raritas enim & densitas non competunt rei sine
extensione in ordine ad locum; cum raritas tum
demum inueniatur, quando res sub parua materiā
magnum locum occupat.

Probari solet 2. ex eo quod substantia corporis
Christi ita sit realiter coniuncta quae quantitati, ut
ab ea nullatenus vsquam separetur, sed haec etiam
ratio est infirma: statim enim negari poterit as-
sumptum, vel si illud intelligatur de corpore exi-
stente in statu naturali, poterit negari consequen-
tia, nisi supponatur nostra ratiocinatio: nisi enim
supponatur rationem quantitatis non consistere in
locali extensione, non aptè deducitur corpus Chri-
sti praeditum est quantitate in caelo, ergo & in Sa-
cramento, ut patet.

3. potest probari ex eo quod corpus in hoc Sa-
cramento non sit monstrosum. Ad quod respon-
detur ita esse; sed quemadmodum non ponitur
monstrosum, etiam si careat locali extensione, non
erit ponendum monstrosum ex eo quod careat qua-
ntitate; cum ponatur habere partes heterogeneas, per
formas scilicet substantiales diuersae rationis, qui-
bus aptè constituitur in ratione corporis organici.

Petes num sententia negans Christum in hoc
Sacramento habere suam quantitatem merito sit
notanda censura? Aliqui grauer eam notant, ita
enim loquitur Sotus dist. 10. q. 1. art. 4. §. quocirca
ad 1. Quamuis Aristoteles existimauerit de intrinseca

ratione & definitione quantitatis esse extendere corpus in
ordine ad locum, nihilominus fides nos contrarium admo-
net: ubi videtur indicare ex hoc mysterio haberi de
fide quantitatem non constitui in extensione in
ordine ad locum, & esse de fide Christum in hoc
Sacramento praeditum esse quantitate. Alanus lib. Alan.
1. de Eucharistia cap. 38. conclus. 2. ait: De acciden-
tibus vero aliqui Theologi dubitarunt, ad sententiam neces-
sario ipsi personae ac substantiae Christi, sed tunc senten-
tia est eorum qui affirmant, eaque nunc ecclesiastica cen-
setur, ut contraria pane pro haeretica habeatur. nam qui
quantitatem ac dimensiones corpori asserunt, & effi-
giem naturalem, & ordinem, & situm, & distinctionem
partium, omnesque animae vires ac potentias, & ipsas vi-
tae operationes vniuersas denegant. Suarez disp. 51. sect. 2.
§. 2. sed inquires, censetur esse theologicè certum quod
quantitas corporis Christi sit in hoc Sacramento,
licet non sit de fide, ita ut altera sententia sit erro-
nea vel saltem temeraria.

Verum quamuis nullo modo iudicem à com-
muni sententia recedendum, mihi quae videatur
omnino verius quantitatem corporis Christi esse
in hoc Sacramento; nihilominus iudico alteram
sententiam non mereri tam acerbam censuram;
nam contra Sotum retorqueri potest argumentum,
si fides nos admoneret rationem quantitatis non
consistere in extensione in ordine ad locum, id esset
quod doceat quantitatem corporis Christi esse in
hoc Sacramento; cum ex nullo alio fidei mysterio
doceamur rationem quantitatis esse in alio consti-
tutam, vel illud asseratur: sed ex ipsomet Soto eo-
dem art. non habemus expressè ex Evangelio vel
canonibus Ecclesiae, quantitatem Christi esse in
hoc mysterio. Adde nec ex alio principio, quo so-
let innouescere aliquid esse de fide; ergo nullo mo-
do dicendum est fidem nos docere quantitatem consti-
tui in alio quam in extensione locali, vel esse de fide
quantitatem corporis in hoc Sacramento reperiri.

Contra Alanum etiam dicitur, quod ex sen-
tentia negante quantitatem corporis Christi esse
in hoc Sacramento, nihil sequatur eorum quae in-
fert tanquam absurda: nam corpus Christi sine quan-
titate posset habere partium organizationem, &
distinctionem, ut ostendimus, item ordinem sub-
stantialem, secundum quem caput esset immedia-
tè substantialiter collo vnitum, non autem pedi-
item posset habere vires animae, potentias & ope-
rationes, nec est vllum principium theologicum
ex quo possit ostendi priorem sententiam continere
haeresim, neque similiter est vllum ex quo deduci
possit per modum conclusionis theologiae quan-
tatem corporis Christi inueniri in hoc mysterio,
& proinde ex quo probetur communè sententiam
esse theologicè certam, & priorem esse erroneam;
cum non possit ostendi Patribus vel Concilijs re-
pugnare. nam non obstat eo quod sancti & Con-
cilia doceant corpus Christi tale esse in hoc Sacra-
mento quale est in caelo, debemus fateri huc non
habere localem extensionem; nihil ergo absurdi
continet contra nuda principia theologica, si dica-
tur non habere quantitatem, quae in tali extensio-
ne consistat: nam quamuis suppositio videatur fal-
sa, tamen ex principijs theologicis non potest osten-
di falsa, sed ut summum ex ratione naturali, ex qua
habemus rationem quantitatis non posse consiste-
re in extensione in ordine ad locum, sed in alia priori.

Vnde iudico priorem sententiam esse quidem
falsam, immò aliquo modo temerariam, cum sine
sufficienti ratione repugnet torrenti Doctorum,
non tamen censo haeticam, vel etiam erroneam.

DVIVM

D V B I V M II.

Virum quantitas corporis sit in hoc Sacramento ex vi verborum, an concomitanter?

ALIQVI asserunt quantitatem corporis Christi in uniuersum esse ex vi verborum; hanc vero, aut illam singularem quantitatem solum esse per concomitantiam & per accidens. ita Vasquez disp. 187. cap. 4.

Sed communior sententia tehet cum D. Tho. hic, solum esse per concomitantiam; quæ est verior, quia quantitas non requiritur ad veritatem verborum, hoc est corpus meum; hic est sanguis meus; nam licet corpus & sanguis in re ipsa suam habeant quantitatem, hæc tamen non intelligitur necessarium, intellecto corpore; sed solum materia, & forma partiales substantiales, quibus corpus constituitur in ratione corporis organici, ex qua ratione probatur resolutio, & soluitur argumentum Vasquez intendens corpus organicum, & heterogeneum non posse intelligi sine hac, vel illa quantitate: dico enim organizationem corporis, per quam constituitur in ratione corporis organici, non peti à quantitate, sed à formis partialibus substantiis diuersæ rationis, & hoc corpus posse intelligi sine quantitate, idem dicendum de sanguine, cuius quantitatem Vasquez supra libenter concedit non poni ex vi verborum.

D V B I V M III.

Virum qualitates quæ competunt corpori vel anime Christi in celo sint in hoc Sacramento, & qua ratione?

COMMUNISSIME docetur corpus Christi existere in hoc Sacramento cum debito qualitatum temperamento, quale habet in celo, quia illud temperamentum requiritur ad debitam corporis constitutionem, nec vltimum dicit ordinem ad locum. Confit. corpus Christi in hoc Sacramento non est deforme, sed debet habere omnem debitam proportionem: hinc est quod habeat colorem qui exsurgit in corpore humano ex illo temperamento; habeat similiter pulchritudinem resultantem ex debita colorum & membrorum proportionem.

Vasquez disp. 187. c. 4. insistentis suis principiis quod huiusmodi temperamentum requiritur ad constitutionem corporis organici, censet poni ex vi verborum.

Sed probabilius est poni per solam concomitantiam, vt communius Doctores cum S. Thom. hic in fine corporis. Ratio est, quod corpus organicum in suo conceptu non includat huiusmodi qualitates, quibus enim eas requirit, vt debitas, & quibus materia disponatur ad receptionem formarum constituentium corpus organicum, tamen illæ qualitates non sunt de ratione corporis organici.

Quoad qualitates anime, suppono quæcumque accidentia anime in hoc Sacramento inueniuntur, solum poni concomitanter, cum ipsamet anima non nisi concomitanter ponatur in hoc Sacramento. Porro accidentia anime continentia sunt vel potentia, vel habitus, vel actus, vel species intentionales.

Dico 1. potentia anime ponuntur in hoc Sacramento: cum enim sint anime proprietates &

connaturalia eius accidentia, sequitur ea inueniri vbicumque ponitur anima in debito & conuenienti statu: cum ergo anima non debeat dici poni in Sacramento destituta suis connaturalibus proprietatibus, dicendum huiusmodi potentias in hoc Sacramento inueniri.

Dico 2. habitus etiam tam naturales quam supernaturales, quos anima Christi habet in celo, hic reperiuntur, v. g. habitus luminis gloriæ, charitatis, scientiæ tum infusæ tum acquisitæ: quia sunt anime perfectiones in statu naturali competentes, anima autem in hoc Sacramento prædita est perfectionibus spectantibus ad suum statum: vnde etiam in hoc Sacramento videt & amat Deum, quia illi actus spectant ad statum anime, suntque necessarij, sunt etiam in hoc Sacramento dotes corporis Christi.

Maiores est difficultas de alijs actibus vitalibus qui anime Christi in celo non semper, & necessario competunt; videri enim possunt etiam hic ponendi per concomitantiam, cum competant anime in celo independentè à loco.

Nihilominus probabile videtur quod non ponantur per concomitantiam; cum enim modò sint, modò non sint, & non necessario competant anime in suo statu naturali, & proinde non habeant necessariam cum ea connexionem, nec videatur probabile inueniri in hoc Sacramento assiduam mutationem per concomitantiam, probabile sit hæc accidentia non poni per concomitantiam in hoc Sacramento, quod docuit Lessius in hunc art. Idem est iudicium de speciebus, si quas accipiat à rebus, quæ in absentia obiectorum pereunt.

ARTICVLVS V.

Virum corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco?

EX corpore articuli duæ possunt elici conclusiones.

Prior. corpus Christi non comparatur ad species sicut locatum ad locum, nec est sub illis tanquam in loco, quia species non habent rationem loci respectu substantia panis.

Posterior. corpus Christi non est in loco, secundum quod est in hoc Sacramento; quia non est localiter ratione suarum dimensionum seu ratione quantitatis suæ, cum illa hic non existat modò quantitativo: nec dicendum est esse in loco mediante quantitate panis, cum illa non afficiat corpus Christi tanquam suum subiectum.

Quoad hanc secundam conclusionem

Notandum non posse negari corpus Christi esse in eodem spatio cum speciebus, atque adeo remansurum in eodem spatio, si destructis speciebus conseruaretur: vnde, nisi sit questio de nomine, potest dici esse in loco quemadmodum anima rationalis informans corpus, est in eodem loco cum illo: non tamè dicitur locum occupare, vt est in hoc Sacramento; quia occupare locum est ita contineri loco, vt totum respondeat toti loco continenti & pars parti loci. propter quam rationem nec dicitur esse in loco circumscriptiue, quia circumscribi loco est commensurari partibus loci adiacentis, & partem locati æquare parti loci & totum toti. forte id solum vult S. Tho. scilicet corpus, etiam prout est in eodem spatio cum speciebus, non esse circumscriptiue in loco.

Aduerte S. Tho. responsione ad 1. docere idem

N n 3 corpus

anime potest in hoc Sacramento.

Conclus. 2. poni habitus naturales, & supernaturales.

Actus vitales probabiliter hic non ponuntur, vii nec species.

Lessius.

25.

Corpus Christi est in eodem spatio cum speciebus.

Non tamè dicitur locum occupare.

S. Thom.